

[Faint, illegible handwritten markings]



Continentur hoc volumine
Hermannij Conringij
Disputationes Politicæ

1. Theses de Civili prudentia, & Ottenowff 1650.
2. De Natura et optimis Auctoribus Civilis Prudentiæ, & Strubius 1639.
3. De Rebus publicis in genere, & Georg. Poch Hung. 1639.
4. De Differentiis Regnorum, & Nasser 1655.
5. De Regno et Tyrannide, von Maxmholz 1670.
6. De Democratia, & Muller 43.
7. De Oligarchia, & Cruger 43.
8. De Judicijs in Republica recte instituendis, & Schradter 1666.
9. De Causa Judiciorum Efficiente Materiali et Finali, & Schröder 1670.
10. De Morbis ac Mutationibus Rerum publicarum, von Wastmblat 1670.
11. De Legibus, & Aug. Giese 1673.
12. De Republica antiqua Veterum Germanorum, & Martin 1654.
13. De Imperatore Romano-Germanico et Statibus Imperij & Engelbrecht. 1640 & Gradus.
14. De Imperatore Romano-Germanico von Hoym 1671.
15. Assertio Juris Moguntinij in Coronandis Regibus Romanorum.
16. De Germanorum Imperio Romano liber H. Franc. Guicciardini de origine secularis potestatis in Romana Ecclesia.
17. De Constitutione Episcoporum Germaniæ & Blüme 1677.
18. De Septemviris seu Electoribus Germanorum Regni et Imperij Romani, & Pape 1644.
19. De Ducibus et Comitibus Imperij Germanici, & Struve 1673.
20. De Germanici Imperij Civibus, & Blüme. 1671.
21. De Urbibus Germanicis Bode & Mai. 1651.
22. De Judicijs Republicæ Germanicæ & à Bürgel 1677.
23. De Majestatis Civilis Autoritate et officio circa sacra, & al. Hamburg. 1670.
24. De Politia sive Republica Hebræorum, & Mullerus Hamb. 1658.

H.
D E
L E G I B V S

P R A E S I D E

*Viro Clarissimo, Excellentissimo, Expe-
rientissimo*

HERMANNO CONRINGIO
Phil. & Med. Doctore, hujusq; in inclutâ
hac Iuliâ Professore publico, Præ-
ceptore suo æternùm co-
lendo.

disputabit

AUGUSTVS Giese

*die 28. Ianuarij in auditorio
maiori,*



HELMÆSTADI,
Typis HENNINGI MULLERI Acad. typ.
Anno MDCCCXLIII.




DE
LE GIBVS

Præsides
Vno Christiano Excellentissimo Imperatori
Serenissimo

HERR MANN O CONRADO
Phil. & Theol. Doctor, hujusmodi in
hoc Iust. Professor publico, P. R.
capite suo eximio co-
lendo,

AVOVS TVS QVIVS
in
honor.



HERR MANN O
Johann Henning
Amdt





Thesis I.

Lex non à ligando, ut Scholastici nonnulli arbitrantur; sed à legendo, sive quod publicè legeretur ita dicta est, sive quod è multis quæ fieri poterant consultatione quâdam lecta, id est, delecta esset.

Lex unde dicitur:

II. Variè à variis accipitur. Propriè tamen significat id, quod imperatur vel prohibetur aliquid vitæ humanæ, usurpaturque 1. Latè, ut includat & jus naturæ & consuetudinem. 2. Strictius, & opponitur 1. Naturæ 2. Consuetudini 3. Plebiscito & cæteris Romani juris speciebus.

*quod sit capi-
tur:*

III. In Primâ illâ & latiori significatione accepta lex est Regula humanarum actionum à majestate præscripta.

quid sit

IV. Quando regula lex dicitur, notandum hîc est 1. excludi à legum appellatione consilia, permissiones, & alia hujusmodi, honesta quidem, sed ita non obligantia, ut contra agere peccare sit, aut agere non rectè. Regula enim est secundum quod aliquid rectum est vel non est. 2. Leges non esse illa singularum actionum præscripta v. gr. Quando Noah jubetur exstruere arcam, Abrahamus mactare filium &c. Regulæ enim est esse plurium, sive ad plura applicari. 3. Vim ac nomen illis legibus perire, quas Iudex mentitâ æquitatis specie in omnes partes flectere potest & reflectere. Regula enim rigida est,

A 2

nec



nec Lesbia illa, plumbea, flexilis proprium regulæ nomen meretur. *Vide Bod. de Republ. n. 751.*

V. Objectum legis sunt actiones humanæ : rationales nimirum, solæ, uti liberæ ita iusti atque iniusti, præmii poenæve capaces. Solæ dico. Nam 1. bruta & quorum se ratio non exserit, furiosi, infantes quoniam intellectu atque arbitrii libertate destituuntur, nihil agunt, quod possint objecto præsentè & positis omnibus ad agendum requisitis etiam non agere, & consequenter nihil, quod juberi vetarive, præmio aut poenâ affici queat. 2. Hominis actiones omnes hujusmodi non sunt, ut justæ possint & injustæ dici. Etenim si omnis hoc loco actionum distinctio ab agendi aut non agendi facultate sumenda est (uti profectò est) sequitur, vegetativas nullo modo sub legem cadere, sensitivas eatenus, quatenus rationis imperio subjacent.

VI. Efficiens causa legis est majestas, cujus & primum & proprium & incommunicabile jus est, leges præscribere, & velle jubere, quod civium in Republica actiones constringat. Signanter dico, jubere, item : leges præscribere. Aliud enim est, scribere leges, aliud præscribere. Sive, ut explicatiùs dicam, Aliud est deligere aliquid & proponere, quod, si sanciat, lex esse possit : Aliud jubere id ipsum, atque autoritate suâ, ut lex sit, efficere. Hoc voluntatis opus est, illud intellectus. Hoc nemo potest præter eum, qui summæ rei præest. Illud etiam alii majestatis minimè participes. v. gr. Prudentes qui Principi legem jussuro à consiliis sunt : Magistratus item, quorum in Republica jus est leges ferre (propriè loquor & Romano more) populumque rogare, velint jubeant, id quod à sese promulgatum esset, valere. Ita etiam leges scripserunt non præscripserunt, Spartanis
Lycur-

Lycurgus, Atheniensibus Solon, Romanis suis Romulus, Numa & ceteri, qui in Rebuspubl. non monarchicis legum latores audiunt.

VII. Ultima definitionis voce ad legem, ut præscribatur, requirimus, id est, ut 1. fanciatur 2. promulgetur (utrumque vocabuli unius vis, si attendas, complectitur) A sanctione quomodo omne suum esse lex habeat ex antecedente thesi fit perspicuum. Non minus, certè ad efficaciter obligandum necessaria est promulgatio. Nam lex est regula & mensura actionum: vana autem est regula, nisi operantibus applicetur, quod fieri non potest, nisi per ejus notitiam. *vide Thomam Aq. 1. 2. q. 90. art. 4. Dom. Soto. q. 1. art. 4. de Iust. & Iure.*

VIII. Definitio legis satis, nî fallor, explicata est. Quod præterea à Cic. lib. 1. de L. L. Thoma 1. 2. q. 92. art. 1. Dom. Soto. q. 2. art. 1. de I. & I. Franc. Picc. gr. 10. cap. 24. Gregorio de Valentia & alijs ad legem tanquam maximè essentialè pertinere putatur, ut justa sit, usuque ex publico constituta, ad certam fortasse legis qualitatem, bonitatem nimirum facit aliquid, ad esse certè non requiritur, uti probat hoc sufficientissimè clarissimus Hornejus Præceptor meus colendus lib. 4. civ. doctr. cap. 3.

IX. Iam quotuplex sit lex, videamus. Dividitur autem primò ratione causæ efficientis in divinam, quæ à divina majestate est, & humanam, quæ ab humanâ. Divina porro dividitur in Naturalem & Positivam.

X. Lex naturæ (definiente Grotio lib. 1. cap. 1. de Iure belli & pacis) est dictatum rectæ rationis indicans actui alicui ex ejus convenientiâ aut disconvenienciâ cum ipsâ naturâ rationali inesse moralem turpitudinem aut necessitatem moralem, ac consequenter ab autore naturæ DEO talem actum aut vetari aut præcipi.

A 3

XI. Est

quotuplex Lex.

1. ratione
causæ effici-
entis.

de Lexe divina
Naturali.



X I. Est autem hæc eadem, quæ aliàs quia omni-
bus gentibus à Deo præscripta est, gentium lex dicitur.
Cicero *lib. 3. offic.* Neque vero (inquit) hoc solum na-
tura id est jure gentium, sed & legibus populorum eo-
dem modo constitutum est. & alibi: Omni in re consen-
sio omnium gentium lex naturæ putanda est. Apud Xe-
nophontem *libro de dictis & factis Socratis*, elegans est hæc
de re locus, & dignus adscribi. *Ἀρχαίφους δὲ τῶν ὅσων, ὡς
ἐπιπείρα, νόμων &c.* Nosti etiam ô Hippia leges quasdam esse non
scriptas? nempe eas dicis, inquit, quæ apud omnes gentes per-
quæ observantur. Potes ne igitur, inquit, dicere, illas ab homi-
nibus latas esse? Quomodo, inquit: qui neque unum in locum
omnes convenire, neque sermone uno uti possint? A quibus ergo
leges istas latas arbitraris? Equidem à Diis arbitror eas datas
hominibus fuisse. Etenim apud omnes gentes prima illa posita
lex est, ut Deum veneremur. Præterea lex ubique est, ut ho-
norem parentibus deferamus. Hæc ille.

X II. Præcepta ejus sunt vel principia vel conclu-
siones. Principia appello quorum veritas absque lon-
gè repetito discursu patet. Qualia sunt: Cole Deum,
Honora parentes, Vive honettè, Læde neminem, su-
um cuique tribue, Fac alteri, quod tibi fieri vis &c. Al-
terius generis sunt, quæ à principiis per cogentem &
necessariam consequentiam deducuntur, sive propin-
quiora illa sint, habeantque promptam & facilem cog-
nitionem, ut non esse occidendum: sive remotiora sint,
quæque difficilius & ferè à doctis tantum inferuntur, v.
gr. Non esse ob idem delictum eadem pœnâ pecuniariâ
(quingenta forte vallengium) afficiendos, illum qui
decem millia in ære habet, aliumve qui centum tan-
tum. Aliud exemplum affert clarissimus Hornejus
hoc loco quem vide.

XIII. Malè



XIII. Malè Vlpiano *l. 1. ff. de Iust. & Iure.* lex ea naturalis dicitur, quam natura omnia animalia docuit quæq; adeo non humani generis propria, sed omnium animalium, quæ in cœlo, quæ in terrâ quæ in mari nascuntur communis est. Sive enim, ut sonant, verba intelligas, non debuit ad bruta uti rationis ita juris expertia lex naturalis extendi, sive malis cum Cujacio in eum sensum detorquere, ut quæ bruta faciunt incitatione naturali, ea si homines ratione faciant jure naturæ fecisse dicantur, non erat hoc in juris sive legum distinctione magnopere attendendum, cum ad legis naturam parùm vel nihil referat, sitne actus quem præcipit homini proprius, an cum animantibus aliis communis.

XIV. Malè etiam ad legem naturæ à multis referuntur: libertas, vis atque injuriæ propulsatio, maris ac foeminæ conjunctio, liberorum procreatio, & alia hujusmodi à naturâ quidem descendunt, à lege naturæ nequaquam. Sunt autem diversa, esse à naturâ & esse à lege naturæ, quove confunduntur magis, eò accuratius ab invicem distinguenda. Naturalia sive à naturâ esse dicuntur etiam illa 1 quæ natura permittit tantùm, 2 ad quæ inclinât, 3 quæ honesta esse indicat, etsi non debita, 4 quibus natura non repugnat, quæve ideo iusta dicuntur, quia injustitiâ carent &c. A lege naturæ sola illa sunt, quæ jubet natura, ut fiant vel non fiant, quæve adeo sive peccato nequeunt omitti. ut educatio liberorum &c.

XV. Sunt ergo à lege naturæ actiones virtutum, omnium, non omnes, cum quædam earum sint à solo humano instituto, multæ etiam liberè sine obligatione suscipiantur. Contra naturam sunt non omnium solum vitiorum actiones, sed omnes etiam, nec enim aliqua

in



in se vitiosa actio est, quam vitare à naturâ non jubeamur. Vbi notandum tamen est: duobus modis peccata vel vitia contra naturam dici. *Natura enim hominis* (verba sunt Thomæ 1. 2. q. 94. art. 3. ad 2.) potest dici vel illa, quæ est propria hominis, & secundum hoc omnia peccata, in quantum sunt contra rationem, sunt etiam contra naturam: vel illa, quæ est communis homini & aliis animantibus, & secundum hoc quædam specialia peccata dicuntur esse contra naturam: sicut contra commixtionem maris & fœminæ, quæ est naturalis omnibus animalibus est concubitus masculorum, quod specialiter dicitur vitium contra naturam.

XVI. Habet lex naturæ præ cæteris duo maximè peculiaria. Vnum, quod positivæ leges materiam suam, actiones nimirum ante indifferentes specificant, & bonas faciunt præcipiendo, malas vetando, naturalis verò actiones, quoniam ex se & ratione sui decent vel dedecent, honestæ vel inhonestæ sunt, idcirco eas debitas facit vel illicitas, jubet vel prohibet. Alterum, quod positivæ leges tam divinæ quam humanæ à liberri-^{ma} summæ potestatis voluntate & constitutione dependent, ac tolli, mutari, laxari possunt, quoties earum latrici majestati vel libet, vel publicâ è re esse videtur; naturalis verò, tanquam radius quidam æternæ legis, imò ipsa æterna lex humanæ naturæ quodammodo impressa & participata, non magis mutabilis aut sublatis est, quàm ipse DEVS.

XVII. Est autem hæc boni malique discretrix notitia humanæ naturæ à Deo insita, & quemadmodum una omnium natura est, ita omnibus & singulis quasi con- nascitur, tum demùm cum effectu promulganda cum ratio se cujusque incipit exserere. Nec obstat, quod multas apud gentes, non illas solum, quæ omni huma-
nitate

nitate exuta quasi obbrutuerant, sed moratiores etiam plurima contra naturæ tam principia quam conclusiones fuerunt & moribus recepta & legibus stabilita. Nam prava educatio, & publica peccandi consuetudo extinxerunt illud non minus his gentibus quam alijs congenitum lumen, effeceruntque ut lege naturæ quasi oppressâ quæ adversantur illi maximè partim licita, partim etiam honorata essent. Ita contra naturæ legem sine dubio est: idolum divino cultu afficere, humano sanguine sacra facere, furari & rapto vivere, matribus & filiabus misceri, infantes recens natos exponere. &c. Et legimus tamen plerisque populis idololatriam, Phœnicibus eorumq; colonis Carthaginensibus, Israelitis item, & seculo superiori Americanis (hominibus non ita feris, uti vulgo putantur) ἀνθρώπων θυσιῶν sive hominum immolationes, furta Lacedæmonijs, latrocinia Germanis, matrum filiorumq; connubia Babylonijs, infantum expositiones Græcis Romanisq; alia alijs in usu fuisse: Cujusmodi multa exempla collegit clarissimus Calixtus tractatu de Legibus morali Theologiæ inserto.

XIIX. Huic postea hominum tam cæcitati quam malitiæ quò mederetur, & efficacius contumaces obligaret, DEVS ter Opt. Max. eam ipsam naturæ legem inscriptam quidem humanis mentibus, sed apud plerisque, ut dixi, peccandi consuetudine obrutam solenniùs in monte Sinai promulgavit, & firmiori quasi ratione præscripsit. Estque ad hunc modum repetita naturæ lex ea quæ mutato paulùm nomine moralis alias dicitur, comprehendens cùm decalogi præcepta (tertio quod positivi juris est excepto) tum cætera illa, quæ passim in libris Mosaicis ad decalogi explicationem videntur pertinere, nec facta tamen propter novam illam

B

pro-



promulgandi rationem positiva est, sed est mansitque
ipsa illa naturalis & cordibus humanis inscripta lex, repe-
tita tantum, & firmiori (ut videtur) solenniori cer-
te sanctione stabilita. De lege divinâ naturali haec-
nus.

De hac divi-
nâ positiva

XIX. Leges divinæ positivæ (aliàs voluntariæ,
quod ex voluntate divinâ ortum habent, item divinæ,
quia de autore earum Deo certius constabat, dictæ) illæ
sunt, quas Deus ter Opt. Max. non quod aliquid sui na-
turâ bonum continerent, sed quia sic libuit pro liber-
rimo suo arbitratu vel universo humano generi, vel uni
alicui populo dedit posuitve. Humano generi ter legi-
mus à divinâ maiestate leges datas. *Primo* statim post
mundum conditum. *Secundo* post diluvium (ad post di-
luvianas leges referenda sunt septem præcepta filiorum
Noah, si vera est Iudæorum traditio) *Tertio* post adven-
tum Christi in carnem. Uni populo; tum, cum A-
brahamum speciali mandato Deus sevocaverat, ejusq;
ex Iacobo nepote posteros, cum iam in populum inge-
nem excrevissent, delegerat sibi peculiari imperio gu-
bernandos. Hujus generis sunt præcepta de sacrificiis,
de sabbatho (observandi præceptum intellige, nam il-
lud recordandi omnes homines concernit) de circum-
cisione; ciborum & dierum discrimine, & aliis huius-
modi, sive ob vitandum malum in quod proni erant Iu-
dæi, sive ad experimentum obœdientiæ, sive in memo-
riam beneficii à Deo accepti, sive ad rerum futurarum si-
gnificationem peculiariter introducta. Sed hisce non
immorabimur, cum, quia tanquam divina ad Theolo-
gorum scholas videntur pertinere, tum quia aliàs accu-
ratissimè jam pertractata sunt ab incomparabili & sæpe
lauda-



Laudato Hugone Grotio libro quinto de veritate relig. Chri-
stiana, & libro de jure belli ac pacis passim.

XX. Vnum tantum ad intelligentiam ejus, quod
modo de peculiari imperio, legibusque populo Iuda-
ico peculiariter datis memoratum est, non possum non
obiter monere: Deum nimirum, etsi Duces populo suo
Judicesque daret, senatum etiam septuaginta virorum
sub Moise institueret, imperium tamen sive summam
potestatem in nullum horum contulisse, uti queas vel
formam aliquam aristocraticam sub illis septuaginta, ut
quidem faciunt, vel regni speciem sub Judicibus statue-
re, ut alij, sed ipsum; quemadmodum majestatis præci-
pua jura: jus leges ferendi & interpretandi, jus belli &
pacis, jus summos magistratus & belli Duces creandi
solus (uti in Moisis, Iosua, Judicum &c. historiâ vide-
re est) usurpabat, ita solum etiam ipsam sibi majestatem
retinuisse, donec tandem populo Regem hunc suum
rejiciente summam illam potestatem, quâ ipse eousque
populum suum monarchicè gubernarat, in hominem
Saullem, volens quidem, sed magnâ cum indignatione
transferret. 1. Sam. 8. Hæc obiter.

XXI. Nunc ordo nos ad alteram speciem huma-
nas nimirum leges perducit, prioribus illis tam inven-
tione quàm dignitate posteriores. Inventione. Nam
prima agendorum regula ab ipso Deo erat hominibus
præscripta, novos casus, si quando emergerent, Prin-
cipes primò familiarum, deinde Reges ad sese delatos, ut
videbatur, decidebant. Postea cum crescentibus ne-
gotijs, crescente etiam hominum malitiâ operosum ni-
mis esset, singulis ita negotijs quasi singula jura conde-
re, nova tamen indies, sive quorum arbitrariâ determi-

B 2

natio-

^{3.}
De legib. Hu-
manis.

Eorum vi-



natione rectè & commodè vita humana institui nequibat, occurrerent, scribi demùm in Rebus publicis jam ordinatiùs constitutis humanæ leges cœperunt, quæque erant à Deo humano arbitrati commissa (erant autem multa) regulis quibusdam arbitrarijs determinari. Nolo hîc de legum harum potestate, causâ efficiente, objecto, sanctione & promulgatione prolixius disquirere, passim enim hæc apud alios explicata sunt, & possunt ea quæ supra dixi de lege in genere ejusque requisitis ad speciem facilimè applicari. Id solum explicabo, quid determinatum nobis à divinâ lege dicatur, & quomodo ea quæ superior lex indeterminata reliquit humanâ à lege determinentur.

XXII. Prius sic optimè potest cognosci, si præsupponamus 1. Omnem legem obligare, atq; hinc 2. Vnicum ejus actum esse, ut aliquid fiat vel non fiat jubere. 3. Quæ huic ordini à Modestino *l. 7. ff. de LL. Thomâ 1. 2. q. 92. art. 2.* accensentur ad legis actus non pertinere: permissionem quia sine obligatione fit, punitio- nem quia primariò legi non intenditur. 4. Eam, quam dixi, punitio- nem interdum quidem secundariò legi, nî fiat id quod jussum est, esse propositam, & quasi appendicem ejus principali actui subservire, interdum verò esse ipsum illud, quod jubetur, & tum considerari, ut actionem humanam, circa quam determinandam tanquam objectum principaliter lex occupata sit. His nimirum ita suppositis patet, id legis divinæ, sive à lege divinâ esse, quod jussum ab eâ aut vetitum est, quodve cum ante fieri aut non fieri, hoc aut alio modo, tempore, loco pro libertate cujusque fieri posset, à Deo demum debitum aut illicitum factum, huic vel illi modo, tempore

quid à divi-
na lege deter-
minatum dicatur:

tempori, loco astrictum est. Contra, quod jussum aut
vetitum à divinâ majestate non est, sed humano sim-
pliciter arbitrato relictum, sive actio id sit, sive vetitæ
aliàs actionis poena, aut jussæ modus, tempus locusve,
id omne extra legem divinam esse, & dici ab eâ indeter-
minatam.

XXIII. Quandoquidem quid à divinâ lege sit,
quid non sit, jam explicatum est, nunc circa quas actio-
nes humana lex cum effectu versetur duabus regulis de-
finiamus. Prima regula: Quicquid à divinâ lege de-
terminatum, id est jussum aut vetitum jam est, circa id
neutro modo humana lex cum effectu versari potest.
Non enim potest. 1. jubere vetita, aut vetare jussa, &
hoc jam manifestum est. Nec potest 2. jubere jussa,
aut vetare vetita, nam hoc esset actum agere. Nota hic:
Si lex aliqua divina invalescentibus publicè improbis
moribus in desuetudinem veniat, uti necesse sit humanâ
eam constitutione revocari, hoc casu nova aut humana
lex censi non debet, sed manet eadem, quæ pridem fuit,
novâ tantum ad humanos animos & notitiam factâ ap-
plicatione, uti rectè docet venerabilis Calixtus *libro an-*
te laudato pag. 77. Secunda regula. Quod divinâ lege de-
terminatum non est, & facere tamen aliquid vel ad publi-
cam rem, vel ad ordinem & decorum in ecclesiâ proba-
biliter putatur, id solum & omne (cæteris paribus) pro
arbitratu vel jubere vel vetare majestas humana potest.
V. gr. Furtum lege divinâ prohibitum est, atque ita eâ-
dem lege punibile, sed quæ ejus poena esse debeat, id
nullâ divinâ lege, quæ quidem ad nos pertineat, est con-
stitutum, potest ergò rectè à Principe ad suspendium
usque, si furta nimium crescentia ita optimè è Republ.

*extra,
quod non sit.*

*Circa quas
actiones huma-
na lex versari
potest.*

*1. Reg.
2. Reg.*



colli posse videantur, exasperari. Ita mandatum à Deo est, ut omnis qui salvus esse vult baptizetur; sed ubinam id debeat fieri expressum non est. Quò fiat autem decentius constitui ab humano magistratu potest, ut non nisi in loco sacro citra necessitatem tam grande sacramentum administretur, estque ita in plurimis locis non malè constitutum.

Lex humana

I. civilis

II. gentium.

XXIV. Vulgò lex humana dividitur in civilem & gentium. Civilis est, quam populus unusquisque aut qui ejus vicem sustinet, singulis suæ Reipublicæ civibus aut subditis præscribit. Gentium lex est, quam plures gentes non fortuitò, aut altera alterius imitatione, sed quasi ex compacto sibi inter se constituerunt. Plures, dico eo modo, quo apud grammaticos plurale singulari opponitur, non quasi id solum, quod inter multas aut plerasque gentes jus intercedit, gentium jus dici mereatur. v. gr. Inter Hispanos & Batavos peculiariter hodie constitutum est, ut bello captus à captore se suo mensis unius stipendio possit redimere, &c. hoc cur minùs gentium lex appellandum sit, quam illud, quod olim, ut capti capientium hostium servi fierent, obtinuit, non video, utraq; certè lex gentium est, etsi quidem illa duarum sit, hæc plerarumq; fuerit. Est autem circa hanc appellationem observandum, aliâ ratione suprâ th. xi. naturæ legem isthoc nomine insigniri, aliâ hic, quando humanæ legis species dicitur constitui. Naturalis ideo lex gentium dicitur, quia OMNIBVS GENTIBVS à DEO præscripta est, hæc vero quia à GENTIBVS IPSIS pro arbitratu constituta, atque ita ab ijs qui jubent, causâ nimirum efficiente nomen sortita est. Distinctionem hanc & differentiam denominationis non observavit, sed
cum

cum vulgo loquutus est Tribonianus, quando initio statim digestorum *l. 2. 3. 4. 5. de I. & I.* religionem, obœdientiam parentibus debitam, vis atque injuriæ propulsationem, bella deinde, contractus, manumissiones &c. à legum illarum autoribus (Pomponio, Florentino, Ulpiano, Hermogeniano) accuratè sine dubio à se invicem distincta uni & eidem juri gentium loco exempli subjecit. Quando item *§. 2. Inst. de I. N. G. & C.* id primùm gentium jus dicit, quod naturalis ratio *inter omnes* peræquè constituit, deinde *§. 4.* quod necessitate urgente & humanis necessitatibus *ipse sibi gentes humana* constituerunt; certè qui accuratè considerat, unde nã gentium lex sic dicatur non temere cū imperito vulgo naturale illud gentium jus cum hoc arbitrario confundet. Sunt qui autument, id propriè naturale jus dici, quod natura tanquam principia quædam indemonstrabilia inter omnes constituit, nec humanis ab ingenijs excogitatum est, quod vero conjuncta hominum & ratio & ratiocinatio ex primis illis principiis deduxit, id gentium jus propriè appellari. Ita quidem illi conantur huic confusioni mederi; sed 1. non convenit hæc distinctio menti sive Ulpiani sive Triboniani, qui id solum naturæ jus dixit, quod hominibus cum brutis commune est, quod cum brutis commune non est, sive à ratione sit sive ratiocinatione profectum gentium jus nominavit. 2. Dupliciter aliquid à naturalibus principiis ratiocinatione deducitur: vel necessariò per modum conclusionis, vel probabiliter per modum arbitrariæ determinationis. Si illo, tum gentium jus ita dicitur vel ideo quod gentibus, vel ideo quod à gentibus datum est. Posteriori modo denominatum neutri, priori modo utrique convenit,

venit, cum conclusiones, ut supra diximus, non minus à natura sint & vim obligandi accipiant, quam principia. Non ergo per modum conclusionis. Nec etiam per modum determinationis, nam etsi fortassis non malè sic gentium jus naturali contradistinguatur, explanationem tamen hanc ut dictis locis accommodemus, exempla de religione &c. gentium juri d. l. ff. subjuncta non patiuntur. Quicquid sit, ut ad propositum revertamur, id constat, alià ratione supra legem gentium sic dici, alià hinc quando inter humanas leges recensetur. De naturali illà gentium lege ibi suo loco dictum est, altera hæc positiva præsentis est considerationis.

*L. de lege
Gentium prof.*

XXV. Rectène autem gentium hæc lex inter leges propriè sic dictas recensetur, novum fortasse cupiam videatur si quæramus aut dubitemus, nec desunt tamen argumenta, quæ reddere hoc dubium possunt. Nam *Primo* de ratione legis est, ut jubeatur, atque ita à solius jubentis voluntate esse suum habeat & obligandi facultatem. Gentium autem quæ lex dicitur tanquam partim expressa partim tacita quædam pactio, uti gentium juris consultissimi fatentur & crebrò inculcant, nullius jussui, sed populorum quorundam mutuo consensui debet originem. *Secundò* legis proprium est, ut non solum postquam data est invitos obliget; sed ut dari possit etiam invitis. Gentium vero lex aut pactum non est, aut si pactum est, ut illi volunt, postea quidem necessitatis est, sed in initio voluntatis. *Tertiò* ad legem requiritur, ut in certâ aliqua civium societate jubeatur à majestate, id est, ab eo qui summam illam jubendi & leges condendi in eâ Republicâ habet potestatem. Talis est



est in magnâ hâc Rerum publicarum republicâ ipse Deus, in singulis illis & restrictioribus pro formâ cuiusque vel Princeps vel Optimates vel populus. At gentium hæc lex lata est, non à Deo, nam sic divina esset, nec à gentibus omnibus, uti dicere possis, Dei indultu universitatem illam gentium ad suæ Reipublicæ utilitatem quid constituisse, cum ipsi, qui de gentium jure scribunt, fateantur, quod apud omnes gentes obtinet, vix aliunde, quam à naturâ esse; sed populis quibusdâ, interdû duobus tantum, ut ante monui: populi autem hi collectim nullam universitatem constituunt, singuli inter sese privatorum loco sunt. Argumentorum summa eò recidit, ut aut omnia omnium pacta, quibus se privati sibi invicem obligant, leges dicenda sint, aut gentium lex dicenda ita non sit, ratio enim differentiæ reddi non potest. Verùm enim verò etsi hæc sint vero non absimilia; cum tamen appellatio jam ea obtineat, usus autem dicendi Magister sit, quumq; & lex commissoria alijque contractus, aut pacta contractibus addita eo nomine appellentur, quia nimirum vel legis in modum obligant, vel imperativis verbis concipiebantur; obligare etiam aliquid possit tanquam pactum, quod initio quidem voluntatis est, postea obligat, & necessitatis est, nolumus gentium legis appellationi quicquam derogare, aut quantum ad eam à communi sententiâ & trito modo loquendi discedere.

XXVI. De primâ legis divisione, quâ supra ratione causæ efficientis in divinam eam & humanam dividebamus, sic satis dictum sit. Nunc secundo ratione modi ferendi dividitur in *scriptam & non scriptam*, sive in legem strictius sic dictam & consuetudinem. *Scripta* lex dicitur, quæ sanctione expressâ uno tempore & fertur & valet.

C

Non

II. Div. Legis
ratione, modo
ferendi.

1.
Lex scripta.



Non scripta, quæ ratio majestatis consensu non uno temporis puncto, sed longo usu inducitur.

XXVII. Lex autem scribi vel scripta esse dicitur 1. propriè, quæ literis traditur, atq; ita Athenienses scriptis legibus, Lacedæmonij non scriptis fuerunt usi; hoc etiam modo jus feudale, quoniam in scripturam redactum est, nominari potest jus scriptum. 2. Quæ uno tempore & expressè à summâ potestate sancitur, sive scripto id fiat, sive ita, ut semel promulgata non literis, sed mentibus omnium & memoriæ mandetur. Cum enim plerumq; leges literis & scripto proponerentur, obtinuit loquendi usus, ut etiam qui leges non scripto, sed aliàs perferrent, *ἡ δὲ περὶ νόμων* & scribere leges dicerentur, quomodo rogari adhuc leges dicuntur etiam illæ, quæ dantur non admodum rogatis. Hâc significatione Lacedæmonij scriptæ non minùs leges fuerunt quam Atheniensibus, ita etiam feudales & aliæ consuetudines leges non scriptæ sunt, quia non expressè nec uno tempore conditæ. 3. Quæ, cum ante non esset, quocunq; modo ab hominibus pro arbitrato ponitur. Hoc modo lex scripta usurpatur pro solâ humanâ & naturali opponitur, ut in illo trito Ciceronis: *Est non scripta sed nata lex, quam non didicimus &c.* 4. Scribi (magistamen cum compositis) dicitur omnis lex, quocunq; modo & à quocunq; illa tandem jubeatur, atq; in hâc acceptione, quæ omnium latissima est, naturalem legem diximus cordibus humanis *in scriptam*, supra etiam thesi septimâ ad omnem legem ut *prescribatur* requisivimus.

XXIIX. Hinc videre jam est 1. An quomodo ad legem strictiùs dictam scriptura requiratur. In primâ enim significatione scribendi vocabulum si sumas, non requiritur, si in secundâ, requiritur. 2. Minùs accuratè à Tri-

à Triboniano jus non scriptum. *Inst. de I. N. G. & Civ.*
principiò quidem definiri, id quod usus approbavit, de-
inde ab institutis Lacedæmoniorum, tanquam inde flu-
xerit, deduci. Certè si Lacedæmonijs nullæ fuerunt le-
ges, sed consuetudines solùm, non inelegans sit allusio;
At nullas illis fuisse leges quis dixerit?

XXIX. Quæritur à nonnullis, quomodo consuetudo
aut veterem legem abrogare, aut novam inducere possit,
cum tamen 1. ab illicitis plerumq; actibus inchoetur,
atq; ita sit aliquid ex multis malis conflatum. 2. privatis
civium actibus invalescat, leges autem condere summæ
majestatis proprium sit, ut ipsi diximus. Verùm hæ di-
sputationes cessabunt, tota etiam consuetudinum ma-
teria rectius percipietur, si intellexerimus unde consue-
tudo sive lex non scripta esse suum & vim obligandi ha-
beat. Multi sunt in eâ opinione, ut existimèt, consuetudi-
nem rò esse legis habere à seipsâ, obligare etiam non a-
liam ob causam, quam quod populus sic agat, atq; ita
tacitè, quid fieri velit, non verbis, sed quod efficacius sit,
rebus ipsis & factis declaret. Et verò ita quis credat ar-
gumentari Iulianum *l. de quibus, ff. de LL.* Sed, si verum
hoc est, duo inde sequuntur absurda 1. in republicâ
monarchicâ, ubi populus nec expressè nec tacitè legem
condendi potestatem habet, nullam consuetudinem esse
obligatoriam. 2. in liberâ etiam civitate consuetudi-
nem legis vicem sustinere non posse, nisi constet, eam
à majori parte populi innumeris ferè actibus esse com-
probatam. Rectius fortassis est, consuetudinem frequen-
tesq; illos actus non esse nisi materiam legis, quæ esse suâ
accipiat à patientiâ & quasi tacito jussu vel Regis vel O-
ptimatum vel populi universi, utpote qui soli in suâ
quisq; republicâ majestatem, & consequèter potestatem
C 2 habent

*pa. de lege
non scripta
sive consuet.*



habent tam tacitè quam expressè leges ferendi: Hinc etiam ad legem non scriptam ratione quidem materiæ requiri, ut frequenter aliquid factum sit & longo tempore, ratione formæ vero, ut ne ille usus (si contra scriptam legem sit) ex vecordiâ Principis vel impotentiâ ortus sit; sed ut Princeps 1. sciverit id fieri. 2. permiserit fieri. 3. ita plenè & libenter permiserit fieri, ut quasi tacitè videatur velle jubere, ut id quod agitur porrò etiam agatur, ultimum enim hoc nisi accedat, permissio magis erit, quam jussus.

*de obligati-
one legis.*

XXX. Vidimus jam, quid lex sit & quotuplex sit. Quod restat de obligatione ejus dicendum sex positionibus absolvemus, & inquiremus 1. Vnde leges facultatem obligandi nanciscantur. 2. Quæ leges obligent. 3. Quos obligent 4. Ad quid obligent. 5. A quo tempore obligent. 6. Quousq; obligent.

1. vnde facultatem obligandi sciat.

XXXI. Obligatio legis principio quidem inde est, quod qui se aggregaverant cœtui alicui, aut homini hominibusve subjecerant, hi aut expressè promiserant, aut ex negotij naturâ promississe debebant intelligi, secuturos se id; quod aut cœtus pars major, aut hi, quibus delata potestas erat, constituissent, estque hæc promissio obligationis quæ lege fit causa remota. Propinquior causa quæq; magis nobis consideranda venit est jussus majestatis, à quo solo ut esse legis ita obligatio dependet; Non verò 1. ab acceptione, quasi instituantur leges dum promulgantur, firmentur demùm cum moribus utentium approbantur, ut ait Gratianus *dist. 4.* Equidem in liberâ Republicâ quod à magistratu (sive is consul sive splendidiori nomine Rex appelletur) proponitur, lex non est, nisi populus id acceptet, atq; ut singulos suæ universitatis obliget, velit jubeat; Verùm illi populo qui se subjecit alteri, & omne suum imperium potesta-

potestatemq; à sese in unum transtulit, quid præter pa-
rendi gloriam relictum sit, nescio: Id scio, inane man-
datum esse, quod exequi, cujusq; adeò bonitas à iudicio,
vis à voluntate mandatarij dependet. Nec 2. obligatio
legis à *ratione* ejus est, ut illi statuunt, qui rationem for-
mam dicunt & quasi animam legis, quæ etiam si Principis
autoritas non accedat, lex tamen sit obligetve. Profectò
si Princeps nullâ bonâ ratione inductus quid constituat,
Tyrannica lex est, nec hinc tamen 1. opus est, ut suæ cuiq;
legi rationes addantur, quibus, id quod jubetur, subdi-
tis persuadeatur: Tanquam emissa divinitus vox jubeat
lex non disputet. *Mone (inquit Seneca) dic quid me velis*
fecisse: non discō sed pareo. 2. Si quando princeps rationes,
quidve se ad hoc vel illud jubendum impulerit, legi præ-
mittat, nec sic tamen ratio quicquam vel ad esse legis, vel
ad obligationem ejus confert; lex est, quia jubetur, ob-
ligat, quia jubetur, quidquid vel eff. etiâ habet vel robo-
ris, id omne à solo majestatis jussu & voluntate sortita est.

XXXII. Quærebatur secundo: quæ leges obli-
gent. Respondeo: Omnes: Hoc tamen ordine, ut supe-
rior semper prævaleat, id est, si aut totæ sibi invicem con-
trariantur, aut certo in casu servari simul nequeant, uti
tum obligatio legis inferioris à superiori seu digniori
lege impediatur. Constet autem divinam legem supe-
riorem esse humanâ, inter divinas naturalem positivis
digniores: atque hinc dubium non est, si humanâ lege
quid jubeatur, quod vetitum divinâ est, aut vetetur,
quod illâ jussum, eo casu, quod Apostolus ait, Deo ma-
gis obboediendum esse quam hominibus. Item si divi-
nâ positivâ quid jussum sit, quod aliquo incidente casu
sine naturalis violatione fieri non possit, tum naturali
positivam ut digniori cedere.

11. quæ leges
obligent.

C 3

XXXIII.



III. quos
obligant II.

questio.

XXXIII. Obligantur lege (hoc enim tertium erat) ij omnes, quibus data est, vice versâ, quibus data non est, ij omnes, utut aliâs subditi sint, imò utut similis ratio ad illos videatur pertinere, non obligantur. Ita v. gr. Naturæ lex, quoniam omnium mentibus insculpta, atq; ita omnibus à Deo præscripta est, omnes ubiq; homines ratione utentes, cujuscunq; illi conditionis sint, obligat, etiam regeneratos, etiam eos, qui humanis aliâs legibus soluti aut superiores. Idem de illis dicendum, quæ præter naturales universo humano generi impositæ sunt, nec enim est ab harû obligatione quisquam exemptus. Illarum legum se aliter habet obligatio, quas supra de circumcissione sacrificijs &c. peculiariter latas memoravimus, quemadmodum enim hæ, partim solis Abrahami posteris, partim solis Israëlitis à Deo impositæ sunt, ita neminem præter illos solos obstrinxere. Atq; hinc (uti Grotius præclare monet in ante laudato *libro quinto de veritate relig. Christ*: neq; Moises socerum Iethronem ad hos ritus suspiciendos adhortatus est; neq; Ionas Ninivitas, nec alij Prophetæ Chaldæos, Aegyptios, Sidonios, Tyrios, Idumæos, Moabitas, ad quos scribunt, ob eos non susceptos reprehendunt, cum peccata ipsorum satis exactè enumerent. Circa humanas leges trita, & tam apud Iureconsultos *ad l. Princeps. ff. de LL.* quam Philosophos agitata quæstio est: sic ipse Princeps (intellige qui majestatem habet, à quo cæteros legumlatores thesi sextâ distinximus) legibus suis obstrictus. Duplex autem legum omnium vis est; Vna dirigendi (sive obligandi) altera cogendi. Cogi non posse Principem ad leges suas servandas, neque, si eas transgrediatur, à quoquam homine transgressionis poenâ exigi posse, plerisq; jam constat, sed directivâ vi legis an obligetur, id est, etsi poenâ



poenā affici non possit, an peccet tamen, si legibus suis non vivat, de eo adhuc controversatur, alijs id negantibus, affirmantibus plerisque. Vtra autem opinio verior sit, mei fortassis iudicij nō est definire, verisimilius videtur, neutra vi legis Principem obligari. Etenim eos solos obligat lex, quibus data est. Principi autem data non est. Ergo. Præmissarum probationē in congressu videbimus. Et si autem, ut dixi, legibus Princeps solutus sit, quō tamen decentior cū membris capiti convenientia sit, quove efficacius ad id servandum, quod iustum est, subditos inducat, præclare egerit Princeps, si ultrò se suis legibus conformet, nec subditis quicquam præcipiat, quod sibi non prius ipse imperaverit. Nam, ut in veteri versu est,

Præsul ut amptuat, inde & volgu' redemptuat olli.
Et pulchrè Claudianus:

*In commune jubes si quid censeſq; tenendum,
Primus jussa ſubi, tuus observantior equi
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Autorem parere ſibi.*

XXXIV. Obligat lex omnis primò quidem & principaliter ad obædientiam, secundariò, nī fiat id quod iustum est, ad pœnam. Hanc tamen certam semper constitui opus non est, sufficit, si repeti à transgressoribus possit legis vigore & obligatione, uti rectè monet Greg. de Valentia *disp. 7. q. 2. p. 2.* & ex illo clarissimus Hornejus *civ. doctrina p. 583.* Quod ad pœnam obligari delinquentem diximus, intelligendum sic est, ut pœnam nimirum statutam patiatur delinquens, non ut ipse eam in se exsequatur. Nam executionem ejus quod attinet, lex pœnalis duobus membris ad diversos loquitur (verba sunt Dominici Soti *lib. 1. q. 6. art. 6. rat. 1. pro conclus.*) *cum enim jubet, ne quis quid faciat, subditos alloquitur, cum vero addit, contrafaciens eo ipso*

iv. Ad quid obligent LL.



eo ipso dominium rerum perdat, aut ipso jure bona amittat, aut bona illius sint confiscata, non tam cum subditis loquitur, quam cum Iudicibus iustitiæ executoribus, quibus talem imperat animadversionem. Hæc Soto.

v. A quo
tempore obli-
gatur.

XXXV. Incipit lex obligare, quando promulgata est, id est, quando quocunq; modo id præstitum est, per quod jam condita in notitiam omnium, qui culpabili negligentia non laboraverint, veniat. *Condita*; dico: atq; ita sumo vocabulum promulgandi non latius solum, sed modo planè diverso ab eo, quo Romani isthoc vocabulo circa leges usi leguntur. Illis enim non condita sed condenda, atq; ita, propriè loquendo, non ipse lex sed materia tantum ejus promulgabatur, id est, à magistratu legem laturo ponebatur in publico, ut inspicià quovis & considerari possit, num digna sit quæ lex fiat, & populi à jussu formã accipiat an non. Vide Rosinũ *lib. 8. antiq. c. 8.*

vi. quous
seu quomodo

XXXVI. Obligat lex tam diu (quærebatur hoc ultimo) quam diu & majestas eam vult obligare, & objectum tale est, ut cum effectu circa illud versari possit. Cessat contra, ut lex, ita obligatio legis 1. quidem à parte objecti seu materiæ circa quam, si actio, circa quam occupata fuerat, successu temporis desinat in potestate nostrã esse, ut juberi amplius cum effectu non possit, prohiberi eam opus non sit. Item: si objectum ita mutetur, ut observari lex nequeat, quin violetur alia magis obligans, & hoc enim casu obligationem ejus cessare supra dictum à nobis est. Cessat 2, à parte Legis latoris, si ipse illi aliàs obligaturæ autoritatem suam subtrahat, legemq; aut in totum aboleat, aut in certis seu casib^o seu personis valere nolit. Dicuntur singularem actionum personarumque à legis obligatione exemptiones illa quidem dispensatio hæc privilegium.

XXXVII.



XXXVII. Venit autem circa legum abrogationem præcipuè notandum *Primò*, esse solius majestatis, ut ferre leges, ita tollere, aut in facto aliquo particulari relaxare: Intellige: si eiusmodi sint, quæ relaxari aut abrogari queant. Etenim, quod *secundò* observandum est, positivas quidem & abrogabiles esse & relaxabiles, cum à liberâ majestatis voluntate dependeant, dubium non est. De naturali seu morali, an talis sit, ut manente objecto à divinâ majestate obligatio ejus vel tota vel in certis casibus removeri queat, controvertitur. Qui sublatilem eam, aut certè relaxabilem statuunt, opinioni suæ partim legislatoriam potestatem substruunt, quæ talis plerumq; est, ut legibus à se latis liberrimè dominari, atq; ita pro arbitratu dispensare in iisdem possit: partem sacra scripturæ nonnulla loca *Gen. 22. v. 2. Exod. 11. v. 2. &c.* ubi Deus homicidium & furtum, lege naturæ sine dubio prohibita, non solùm permittere, sed, quod plus est, imperare etiam videtur. Negantis sententiæ propugnatores Dei urgent divinæque voluntatis constantiam & immutabilitatem; ad loca autem è scripturis allata respondent: videri quidè in istis casibus mutari naturæ legem, at si propriè loquendum sit, non legem mutari sed legis objectum. V. gr. Aegyptiorum aurea & argentea vasa *Exod. 11.* Israelitis in præstitæ operæ compensationem sententiâ Dei tanquam summi Iudicis esse adjudicata, atq; ita Israelitas non aliena sed sua secum portasse: Vbi autem res aliena non est, ibi nec furtum fieri: ubi furtum non est, ibi nec posse, furtum esse imperatum, dici, aut licitum factum. Posterior hæc sententia uti verissima est, ita ratio differentia, cur cæteræ quidem leges ab autoribus suis flecti & reflecti possint, naturalis non item, hæc mihi potissima videtur: quòd illæ ab initio condi potue-

D

runt &

runt & non condi, conditæ autem sunt, quia majestati sic visum est; hæc vero homini ad divinam imaginem rationali condendo non potuit non & præscribi & inscribi, nec tolli ergo eodem objecto manente videtur posse.

XXXIIX. Diximus, quousq; lex obliget, & quomodo ejus obligatio à majestate removeatur. Addunt nonnulli, cessare legem, & quidem citra majestatis consensum, si ratio cesset, ob quam lata est, atq; ita lex vel publicis commodis incipiat obstare, vel certè ea, ut facere legem oportet, parùm promoveat. Horum sententiæ eousq; subscribimus, si evidentissimè constet 1. à certâ ratione tanquam causâ unicâ voluntatem Legislatoris ad aliquid jubendum fuisse motam. 2. cessare plane rationem illam: ut eo casu lex cesset, non ipso jure, quod ajunt, aut citra Legislatoris consensum, sed & voluntate ejusdem præsumptâ, qui si publicæ salutis studiosus est, uti esse præsumitur, nolet vel perniciosis legibus populi comòdo obesse, vel inutilibus civitatem suam obruere. Quandoquidem verò, quæ dixi, evidentissimè semper constare non possunt, cum nequeat omnium, quæ à majoribus constituta sunt, ratio reddi, haud è publica reputamus esse, regulam vivendi cujusvis arbitrio judiciove hoc modo committi, præsertim, cum idè principalem fortunam rebus humanis Deus præposuerit, ut possit omnia quæ noviter contingunt & emendare & componere & modis & regulis competentibus tradere, ut ait Imp. l. 3. §. sed quia. C. de vet. jure enucl. Accedit & illud, quod passim inculcatur à Politicis, legum abrogationem tanquam rem mali exempli fieri non debere, nisi illarum, quæ lapsu temporis cessante ratione aut valde perniciosæ aut inutiles planè Reipubl. effectæ sunt. Quòd si his casibus sine majestatis consensu, ut volunt isti, lex cessaret, sequeretur, nunquã è publicã

est publicâ re esse, legem tolli; cum ea propriè tolli seu abrogari dicatur, quæ non abrogata porrò etiam obligatura fuisset.

XXXIX. Hæc ergo de naturâ legum sic dicta sint. Corollarij loco de obscuræ legis interpretatione, quod duplex ea sit & cui quæq; competat, libet subicere. Tribus potissimùm modis lex aliqua obscura esse potest: 1. Si phrasis ejus sit insolens, aut verba adeò antiqua, peregrina, obscura, ambiguè posita, ab usu vulgi remota, ut quid significant, ignoretur. 2. Si verba legis clara sint, dubitetur autem de mente ejus & sententiâ: cum fiat nonnunquam, ut verbis quidem satis perspicuis adeò tamen lex indefinitæ loquatur, ut in applicatione ad factum ex mente ejus certis rationibus collectâ vel extensionem vel restrictionem fieri necesse sit. 3. Si lex, de cujus & verbis constat & mente, duriuscula seu parùm æqua videatur, atque ita emendatione aliquâ & emolliatione indigere. Oritur hinc triplex interpretatio: **VERBORVM, MENTIS, ET ÆQVITATIS.** Verborum & mentis quæ interpretationes dicuntur, scientiæ sunt, non potestatis: Tertia, (quam solam nunc æquitatis interpretationem liceat appellare) potestatis est, & quidem potestatis in Republicâ summæ: nec enim tam explanatio est veteris legis quam novæ & æquioris in locum istius substitutio, eadem cum abrogatione legis aut mutatione, si generaliter fiat, cum dispensatione, si specialiter & certo aliquo in casu. Hanc tanquam ipsi legi æquivalentem interpretationem inferiori Iudici aut Magistratui non convenire, manifestũ est: nam cum leges institutæ sunt & firmatæ, non licebit Iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas, ait August. dist. 4. cap. 3. Nec obstat quod in proverbio est, Summum jus summam esse injuriam: quodve

*de
obscuræ legis
interpretatione.*

scripta.



quodve passim in jure civili jubentur Iudices benignius
leges interpretari *l. benignius. ff. de LL.* præcipuam justitiæ
æquitatisq; quam stricti juris habere rationem *l. placuit.*
C. de Iudiciis. Etenim quemadmodum accipitur jus, in-
terdum quidem pro externo verborum contextu; magis
tamen propriè pro sententiâ legis & voluntate: ad eum
modum *ἀνεξέλικτοι* dicuntur 1. valdè impropiè, qui
verbis, eorumq; rigori & nimix, ut ita dicam, proprie-
tati tenaciter inhærent, de mente interea & voluntate
legis satis interdum benignâ minùs solliciti. 2. propriè
magis, qui legem, cujus sententia, etsi dura, manifesta
tamen est, sine alicujus vel æquitatis vel iniquitatis re-
spectu ad factum quàm strictissimè accommodant. Vtri-
que rigori tam mentis (id est ipsius legis) quam scripti
adhibetur sua æquitas seu *ἐπιείκεια*: illi à solo Principe,
huic etiam à magistratu inferiori. Princeps, quod reapse
d durum est, emollit, quod iniquum, emendat, inter jus
æquitatemque interpositam interpretationem solus in-
spicit, *l. 1. C. de LL.* Iudex etiam inferior benigniora
præfert; sed in dubijs. *l. 56. ff. de R. I.* benignius leges in-
terpretatur; sed (NB.) quò voluntas earum conservetur,
d. l. benignius. ff. de LL. atq; ita eas, quarum ipsa sententia
ad æquitatem benignitatemq; inclinat. Eram in eo, ut
huc afferrem *l. prospexit. ff. qui & à quibus man. lib. non fiant.*
item locum *§. 4. Inst. de success. liberr.* ubi Imp. ait, se legis
Papiæ summam ita esse interpretatum, ut pro mille fester-
tjjs unus aureus computetur, quod mirum videtur
Hottomanno; sed quandoquidem plura ad-
dere per augustiam pagellæ non
licet,

HIC ESTO TERMINVS.

01 A 6635

ULB Halle
003 105 725


3



SB

6007







H.
DE
LEGIBVS

PRAESIDE

*Viro Clarissimo, Excellentissimo, Expe-
rientissimo*

HERMANNO CONRINGIO
Phil. & Med. Doctore, hujusq; in inclutâ
hac Iuliâ Professore publico, Præ-
ceptore suo æternùm co-
lendo.

disputabit

AVGVSTVS Giese

*die 28. Ianuarij in auditorio
maiori,*



HELMÆSTADI,
Typis HENNINGI MULLERI Acad. typ.
Anno MDCCXLIII.

